



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§, 49. Tractatus de merito operum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.

A.C. 1565.

ro idem Doctor in duobus postremis capitibus demonstrat, quod hæc repugnantia legis membrorum, involuntariique cupiditatis motus, & concupiscentiæ effectus, qui etiam nobis nolentibus fiunt, in justis peccata non sint.

§. XLIX.

Tractatus de merito operum.

Tractatus de operum meritis in duos libros divisus est, in quibus Bajus hæc se comprobaturum spondebat. „Sic, „ut damnatio extitit æquum peccati „stipendium in Angelis peccantibus, „ita etiam felicitas æterna fuit justa „meriti merces in Angelis, qui „deles remansere: nec minus ob ean- „dem rationem hæc felicitas non fuisset „gratia, sed justa retributio in homine, „si usque ad finem perseverasset in bono, „in quo creatus erat: sicut etiam homo „mundatus, ac per Christi sanguinem „pro ipso effusum reparatus re ipsa ob „merita sua a Deo per justum istius ju- „diciū accipit vitam æternam antea „amissam, cum hoc tamen discrimine, „quod pro homine innocente vita æ- „terna fuisset nil nisi retributio merito- „rum ejus, pro homine autem lapsō, „qui per mortis Christi applicationem „fuit reparatus, vita æterna sit simul „& gratia, & meriti merces. „ Hæc sunt,

sunt, quæ Bajus se in hisce duobus libris probaturum spondebat, ac re ipsa ex auctoritate, & ratione evincere nitebatur: respondet insuper quibusdam difficultatibus, quas sibi opponendas præviderat, earumque prima est, quod in sacris Paginis vita æterna appelleretur Dei gratia, inde vero inferri possit, quod illa non sit merces: verum respondet Bajus: ecquidem est gratia in peccatoribus, quales nascimur omnes, in mercedem autem datur, quando hi Peccatores per suam naturam quoddam bonum opus salutis æternæ meritorium per Dei gratiam operati sunt: præterea potuissent etiam objici hæc sacræ Scripturæ verba: *cum omnia feceritis, dicite: LUC. 17. v. 10. servi inutiles sumus*: Bajus vero ita respondet: ipsis sacræ Scripturæ verbis dicimur servi, non mancipia, servus autem dignus habetur mercede sua, sumus equidem servi inutiles, quia nihil habemus in nobis, quod nos ex propriis viribus idoneos redderet ad bonum, quod per gratiam operamur: si autem Deus nos cum nostra peccaminosa natura relinqueret, penitus inutiles maneremus ad bonum: ast ejus gratia nos ad bonum reddit aptos, dum in nobis facit, ut bonum operemur. Hac ratione Bajus plures alias dissolvit contrarias rationes, atque ubique depre-

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

LUC. 17. v. 10.

Sæcul. XVI
A.C. 1565.

henditur, quod ingenii perspicacia clarus ea, quæ scribit, acriter inspiciat. Demum ad secundi libri calcem in hoc tractatu discutit, an peccata, quæ nominamus venialia, talia sint ex natura sua: porro ad id respondet, quod talia reputentur duntaxat ex Dei misericordia, nullum autem detur peccatum, quod nos non excluderet a Regno Dei, nisi Sanguis Christi Domini nos ab illo mundasset. Insuper in secundo hoc libro examinat quorundam Theologorum opiniones, quibus discutitur, unde proveniat, ut quid mereri possimus, cum illud nonnulli, prout putat Bajus, deducant ex adoptione, seu participatione naturæ Divinæ, alii autem derivent ex obedientia erga præcepta; cui postremæ sententiæ ipse etiam Bajus suffragatur; Christus enim juxta Baji opinionem, dum in Evangelio conventionem, seu pactum cum homine in suæ creationis principio initum repetit, non dixit, si vis servare mandata mea, obtinebis vitam æternam, sed serva mandata mea, si vis ingredi vitam æternam: ubi juxta Bajum insinuat Christus, quod obtenturi simus vitam æternam, si in primævo creationis nostræ statu perseverantes Dei præcepta fideliter servaverimus: sicuti econtra factum, ut omnes morti æternæ obnoxii red-

cap. 2.

redderemur, quia pactum, quod Deus ^{Sæcul. XVI.}
cum omnibus hominibus in Adæ per- A. C. 1565.
sona iniit, violavimus.

§. I.

*Baji tractatus de prima hominis
justitia.*

In tractatu de prima hominis justitia
Bajus affirmat, negari non posse,
quod primus homo in rectitudine, &
justitia creatus fuerit, dicente ipso Deo ^{cap. 1.}
in capite primo Geneseos: *Faciamus* ^{Gen. 1. v. 26.}
hominem ad imaginem, & similitudinem no-
stram. Jam vero, infert Bajus, hæc
similitudo intelligenda venit de simili-
tudine quoad sapientiam, ceterasque Dei
virtutes, quatenus hac ratione crea-
tura accedere potest enti non creato.
Postea oppositæ sententiæ adhærentes
refellit, suam vero opinionem quampluri-
mis sacri Codicis, & Patrum testimoniis
comprobare nititur, ubi quærit etiam, in
quo primæ hujus rectitudinis, quæ de-
corabat hominem ante ejus lapsum, in-
tegritas constiterit, respondet vero, ean-
dem non modo in eo extitisse, quod ho-
minis intellectus per plenam, & inte- ^{cap. 3.}
gram legis divinæ cognitionem, ejus-
que voluntas per perfectam obedi-
entiam Creatori suo uniretur, atque ad-
hæreret, sed insuper inferiores corpo-
ris ejus partibus subditæ essent superio-
ribus